



Per.
Lat
020

LATIN IFJÚSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 142-215).

Moderator, ad quem manuscripta mittantur: I. WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1937-38. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyus aerarii comparsorum postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annuum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

De Sancto Stephano primo rege Hungariae.


(1038—1938.)

Ubi es tu stella || splendida Hungarum,¹
Qui fueras regni || nostri auxilium:
Ubi es Stephane,
Hungari optant te!...

Hic cantus saepe cantatur hoc anno, qui est nongentesimus, ex quo S. Stephanus rex primus noster sepultus est. Decet gentem Hungaricam gratiam referre regi magno, qui puer adhuc ethnicus² erat et Vaik nominabatur. Postquam pater eius, Geysa Dux cum Imperio Sacro Romano nationis Germanicae in gratiam³ redit,³ sacerdotes quoque Christiani in regnum venerunt et Vaik baptisatus⁴ nomen Stephanum accepit, mox autem Giselam, filiam Henrici Bavarici in matrimonium duxit.

Post mortem patris gentem Koppanyanam hostemque fidei Christianae armis rebellem domuit, quo facto totam Hungariam in religionem Christianam induxit. Deinde Astericum, abbatem Pécsváradiensem ad Silvestrem II summum pontificem (= Papam)

Romam misit, a quo coronā sacrā et iure legati donatus decem dioeceses⁵ seu episcopatus⁵ constituit. Episcopatibus monasteriisque⁶ beneficia magna data sunt ad cultum dilatandum.⁷ Sed etiam statum regni constituit et disposuit, quod iam pater incepit, tamen laudes perficiendi S. Stephanus habuit. Possessiones gentium familiis divisit, sed plurimas possessiones familia regia obtinuit. Sic fundamenta imperii regii similiter ac⁸ Carolus Magnus posuit. Comitibus⁹ qui tum regii erant, officiales¹⁰ comites¹¹ praefecit — quem magistratum hereditate accipere non licebat (neque nostris temporibus licet) — et ita potestatem centram firmavit.



Missa sollemnis in memoriam S. Stephani ante palatium Comitiorum Regni.

¹ Hungarorum ² pogány = der Heide = païen ³ kibékül = sich versöhnen = se reconcilier ⁴ megkeresztel = taufen = baptiser ⁵ püspökség = Bistum = évêché ⁶ kolostor = Kloster = monastère ⁷ elterjeszt = verbreiten = répandre ⁸ mint = wie = comme ⁹ megye = Bezirk, Gau = comitat ¹⁰ tisztartó = der Beamte = intendant ¹¹ (fő)ispán = Gauleiter = chef de comitat préfet

Rex maximā curā educabat filium, qui successor dignus fieret, sed Emericus princeps adhuc patre vivo mortuus est. Regem senem mors Emerici magno affecit maerore. Nunc filius sororis eius, Petrus successor factus ab eo est.

Magno regi posteri non erant ingrati et ecclesia eum in numerum sanctorum cum filio, Emerico principe rettulit. Dextera S. Stephani benedicta hodie quoque integra adhortatur nos ad patriam amandam et ad tempora futura Hungariae miserime mutilatae iterum beatiora praeparanda. Consequamur adhortationem pulcherrimam et vivificam!

Josephus Kaptay disc. Tatanus.



LECTORIBUS MINIMIS.

locosa.

Ioca discipulorum gymnasii Acad. Budap.

1. Domina rogavit scriptorem: «Gaudebasne duobus pisciculis aureis, quos nuper¹ misi tibi?» — «Valde gaudebam, domina, respondit scriptor, sed quinque hominibus, tot enim sumus domi, non sufficiebant.»²

Béla Balázs.

2. — Mater, cur non tali viro nupsisti,³ qualis est pater Adalberti?

— Cur hoc me interrogas?

— Nam pensum Latinum Adalberti semper optimum est.

P. Balogh.

3. *Graecus*: In patria mea ante mille annos telephorum iam notum erat.

Aegyptius: Comproba,⁴ si potes!

Graecus: Apud nos archaeologi res antiquas effodientes etiam filum⁵ metallicum in terra invenerunt.

Aegyptius: O! In patria mea iam ante duo milia annorum radiotelephonia (seu: telephorum sine filo)⁶ nota erat.

Graecus: Demonstra!

Aegyptius: Apud nos archaeologi effodientes invenerunt in terra nulla fila metallica.

Lud. Bikszády.

4. «Quid solvisti⁷ pro hac veste, quam geris?» — Trecentos pengones . . . nempe⁸ cum sumptu⁹ litis.⁹

5. *Professor*: «Cur non aderas in ultima praelectione¹⁰ Latina?» — *Nebulo*: «Quia tam raucus¹¹ eram, ut adhuc Hungarice quoque aegre loqui possem».

6. *Magister mathematicae*: «Quanta est dimidia pars octavae?» — *Nebulo*: «Nimis¹² paucum,» sonat responsum.

R. Elmer.

7. *Emptor*: Aspecta bene hanc vestem¹³ atriensem,¹³ quam mihi nonnullis hebdomadibus¹⁴ ante confecisti, pluviā corruptam.¹⁵

Sartor:¹⁶ Sic est, domine, si quis tale atrium frequentat, ubi pluit.

Guilelmus Gutmann.

8. «Dic mihi» — alloquitur¹⁷ possessor automobilis virum quendam — «peritusne es automobile gubernandi?» — «Non sum peritus» — respondet ille. — «Bene. Tum custodias, quaeso,¹⁸ automobile meum, dum in hac taberna emo res necessarias.»

9. Magister interrogat discipulos: «Pueri! Quis potest mihi dicere, unde oriatur ros?»¹⁹ — Quidam nebulo respondet: «Terra tam celeriter circum axem se torquet,²⁰ ut sudet!»²¹

10. In schola magister terram rotundam esse explicat. Deinde alloquitur quendam discipulum non²² attentum:²² «Mi fili! Demonstra terram rotundam esse!» — Discipulus se excusans: «At, domine magister, ego nunquam dixi terram rotundam esse!»

11. Convivae²³ sunt apud parentes nebulonis, qui inter adultos²⁴ est et sine intermissione fatigat patrem: «Pater, volo in gremio tuo sedere». — «Hem, non vides hic convivas esse et mihi cum iis colloquendum esse?»²⁵ — «At . . . ego volo in gremio, non in ore tuo sedere!»

12. *Judea*: «Et si quis interfatur²⁶ voce significans, contentusne sit an non, statim domum mitto illum».

Reus:²⁷ «Vivat, vivat!»

13. *A.*: «Quid faceres, si tibi: *Tu furcifer*²⁸ es! dicerem?» — *B.*: «Si hoc mihi diceres, tibi ingentem alapam ducerem». — *A.*: «Et si ego hoc tantum in animo cogitarem?» — *B.*: «Tum non darem tibi alapam». — *A.*: «Bene est. Hoc ergo tantum in animo cogito».

Lud. Hekli.



¹ minapában = neulich = l'autre jour ² elegendő = ausreichen = suffire ³ férjhez megy = heiraten = épouser ⁴ bebizonyít = beweisen = prouver ⁵ drót = Draht = fil de fer ⁶ rádió = Rundfunk = radio, TSF ⁷ fizet = zahlen = payer ⁸ természetesen = natürlich = naturellement ⁹ perköltség = Prozeßkosten = frais de justice ¹⁰ előadás, óra = Stunde = classe ¹¹ rekedt = heiser = enroué ¹² nagyon = sehr = très ¹³ szalónruha = Salonanzug = redingote (litt^{nt} vêtement de salon) ¹⁴ hét = Woche = semaine ¹⁵ tönkre tesz = unbrauchbar machen = gâter, abîmer ¹⁶ szabó = Schneider = tailleur ¹⁷ megszólít = anreden = aborder ¹⁸ kérem = bitte = je vous en prie ¹⁹ harmat = Tau = rosée ²⁰ forog = sich drehen = se tourne ²¹ izzad = schwitzen = transpirer ²² figyelmenetlen = unaufmerksam = inattentif ²³ vendég = Gast = invité ²⁴ felnőttek = die Erwachsenen = adulte ²⁵ beszélgetnem kell = ich muß sprechen = il faut que je cause ²⁶ közbeszól = dazwischenreden = interrompre ²⁷ vádlott = Angeklagter = prévenu ²⁸ akasztófárávaló = Galgenstrick = gibier de potence ²⁹ pofon = Ohrfeige = gifle

Lectores ad certamen invitantur.

Qui certaminis participes esse volunt, scribant sub titulo *Quae mihi in «Iuventute» maxime placeant?* Terminus: Calendae Januariae. Opuscula optima praemio afficientur.

Carmina popularia Hungarica. I.

Hilariter.



Convertit *Theresia Valday* disc. Kaposváriensis.

Varia.

Benjaminus Franklin, inventor maximus, cum iam senex erat, paulum gravius¹ audiebat.¹ Aliquando ad sollemnia² universitatis Parisianae invitatus est. Sero adveniens in parte auditorii³ posteriore sedem accepit. Orationem audire non potuit, sed inurbane⁴ se gerere nolens, quotiescunque⁵ oculos oratoris in se conversos vidit, plaudere incepit. Nepos inventoris in ordine primo sedens plausus avi⁶ diu invitatus audivit. Denique⁷ ad eum veniens his verbis senem allocutus est: «Ave, quid accidit tibi? Cur plaudis semper, si laudaris?» Orator enim de Benjaminio Franklin orationem habuit et si verba de eo laudantia dixit, semper eum aspexit. *Magdalena Jóború* Bp.

¹ nagyot hall = schwerhörig sein = avoir l'oreille dure ² ünnepély = Fest = fêtes ³ terem = Hörsaal = auditoire ⁴ udvariatlanul = unhöflich = manquer d'usage ⁵ valahányszor = so oft = chaque fois que ⁶ nagypapa = Großvater = grand-père ⁷ végre is = endlich = enfin

*Simiae*¹ homines imitantur. Venator ex America reversus ita gloriatus est:² «Ego in America per multas simias mihi comparavi».³

— Quomodo? — interrogaverunt amici credere nolentes.

— Facillime. Simiis imitandi studium insitum⁴ est, sicut vos quoque scitis. Ego ergo in venando⁵ hoc studio utabar. Cum in conspectum simiarum veni, constiti et sclopetum,⁶ cui domi pulverem innocuum⁷ immiseram, in me exoneravi,⁸ deinde multa alia sclopetata, in quibus tamen iam glandem⁹ plum-

beum⁹ imposueram, humi reliqui. Paululum digressus¹⁰ magno cum gaudio vidi, quomodo simiae se sclopetis interficerent fere omnes.

Felicianus Gondán O. Cist. Bajanus.

¹ majom = Affe = singe ² dicsekszik = prahlen = se vanter ³ szerez = verschaffen = se procurer ⁴ velük született = angeboren = inné ⁵ vadászat közben = bei der Jagd = à la chasse ⁶ puska = Flinte = fusil ⁷ ártalmatlan = unschädlich = inoffensiv ⁸ elsüt = entladen = déchargé ⁹ puskagolyó = Kugel aus Blei = balle de plomb ¹⁰ odább mentem és = entfernte mich und = s'éloigner

Piscis loquens. Conviva in caupona¹ pisce, quem poposcit, non contentus est, deinde colloqui

¹ vendéglő = Gasthaus = restaurant



Pittacia in memoriam Sancti Stephani: 6 f.: Rex apostolicus benedicit Hungaris baptisatis. — 10 f.: S. Stephanus repellit exercitum Conradi II-i Pannoniam occupare volentis (a. 930). — 16 f.: Rex iudex. — 20 f.: Rex coronam offert S.-ae Mariae patronae Hungariae. — 32 f.: Aula regia. — 40 f.: Rex cum regina Gisela et filio S. Emerico. — 50 f.: Mors regis. — Haec pittacia mense Augusto duplo pretio vendebantur.

cum eo incipit. Quod cum puer² cibifer² videret, curiose interrogat: «Qua de re tibi cum pisce sermo est?» Conviva respondit: «Heri³ anulus aureus, cum per pontem⁴ Catenatum⁴ irem, ex manibus excidens in Danuvio evanuit.⁵ Ideo scire volui, vidissetne piscis anulum meum an non».


— Et quid respondit piscis? — quaerit puer admirans.

— Tristissimum est, quae respondit. Haec enim dixit: «Anulum tuum videre non potui, nam a piscatore⁶ non heri, sed iam ante duos menses captus sum!»
Fridericus Orlovski Bp.

² étékhardó (pincér) = Speisenträger (Kellner) = garçon ³ tegnap = gestern = hier ⁴ Lánchíd = Kettenbrücke = Pont Suspendu ⁵ eltűnik = verschwinden = disparaître ⁶ halász = Fischer = pêcheur

Graphologia fatalis. Balzac, scriptor Galliae praeclarus, multum in¹ graphologia occupatus¹ erat, qua peritiā haud mediocriter elatus² erat. Quaedam matrona scriptorem ludibrio³ habere³ voluit. Libellum⁴ igitur, quem Balzac puer⁵ in schola scripserat, apportavit et rogavit, ut sententiam de discipulo diceret. Ille non agnovit libellum suum et postquam scripturam paululum⁶ aspexit, exclamavit: «Veritatem dicam. Hic puer stultus est, segnis⁷ atque nequam». ⁸ — «At, domine — inquit illa ridens — hic libellus est a te ipso puero scriptus!» — Responsum scriptoris attoniti⁹ nescimus.
Emericus Lipsitz, disc. Debrecinensis.

¹ foglalkozik vmivel = beschäftigt sein mit = s'occuper de ² büszkélkedik in = stolz sein = être fier ³ gúnyt űz vkivel = Spott treiben mit = se moquer ⁴ írka = Schreibheft = cahier ⁵ gyermekkorában = als Kind = enfant ⁶ egy kissé = ein wenig = un peu ⁷ lomha = laue = paresseux ⁸ semmirekellő = Taugenichts = vaurien ⁹ megrökönyödött = bestürzt = penaud



LECTORIBUS MEDIIS

De nepotibus magnorum principum Indianorum.¹

Doctore scenico² pellicularum Hollywoodensi, nomine King Vidor, ad pelliculam novam faciendam quingentis hominibus cutis³ rubrae³ partes⁴ personarum⁴ mutarum⁴ agentibus⁴ opus erat. Cum rem quam maxime naturae convenirentur exprimere vellet, stirpem quandam Navajo-Indianorum mercedem magnam pollicens ad ludos scenicos invitavit. Viri fortes profecto in oppidum Mexiconem No-

vum advenerunt, at non avitis vestibus suis ornatim sed vestitu uniformi moderno «cowboy» dicto. Mox patefactum est nullum illorum calceos «mocassin» dictos, pennas⁵ decoras⁵ et instrumenta⁶ similia a maioribus Indianorum tradita habere. Haec omnia magno pretio mutua⁷ sumenda⁷ erant. Sed maxime ridiculum erat, cum Indiani tandem ad bellum picti et instructi aderant. Calorem solis haud tolerabant et brevi adeo sole adusti⁸ sunt,⁸ ut nonnulli eorum in valetudinarium⁹ portandi essent. Sed etiam reliqui tantum eā conditione partes¹⁰ longius agere¹⁰ volebant, si «Pugna atrocissima Indianorum» singulis semihoris peractis intermitteretur, ut viri bellicosi contra vim solis cremore¹¹ curarentur.

Dion. Kövendi Kunszentmiklósiensis

¹ főnök = Häuptling = chef ² filmrendező = Filmregisseur = metteur en scène cinéaste ³ rézbőrű = «Rothhaut» = peaurouge ⁴ statisztául = als Komparserie = figurant ⁵ tolldísz = Federschmuck = parure de plumes ⁶ felszerelés, kellék = Requisit = accessoires ⁷ kölcsön vesz = ausleihen = emprunter ⁸ lesült = gebräunt = brülér ⁹ kórház = Krankenhaus = hôpital ¹⁰ szerepüket játszani = die Rolle spielen = jouer leur rôle ¹¹ krém = Krem = crème

Legenda Rhenana¹ de Sancto Stephano.

Nauta quidam Hungarus Danuvianus, nomine ignotus, tempore bellorum Turcicorum patriam amatissimam reliquit et Germaniam totam passim² peragrans etiam ad flumen Rhenum et oppidum Bingen pervenit. Sed hic, ubi flumen vi per montes iter sibi rumpit, ubi in montibus altissimis arces innumerabiles viatorem salutant, ubi in praeruptis³ uvae (vites) igneae crescunt et homines hilariter cantantes vinumque aureum bibentes vivunt: hic vitam agere et aliquando, si hora aderit, in nomine Dei mori voluit; omnia enim: flumen, montes, homines, vinum iterum atque iterum eum patriae amatissimae Hungaricae illo autem tempore infelicissimae commonefecerunt.⁴

Étsi patria secunda multum dedit, tamen etiam his plura ei dedit: fidem Sancti Stephani, adiutoris rebus⁵ in angustis.⁵ Et brevi etiam amici eius, nautae in oppido Bingen habitantes fidem habuerunt Sancto Magno et antequam decennium praeterisset, nullus in regione oppidi Bingen nauta inveniri potuit, quin, priusquam se undis periculis, rapacibus, saepe etiam insidiosis committeret,⁶ preces ad Sanctum Stephanum fudisset.

At saepe etiam nautae peregrini advenerunt, qui hanc fidem non habuerunt et nautas in oppido Bingen habitantes propter Sanctum novum deriserunt. Sed omnibus his irrisoribus⁷ miserabiliter⁸ processit.⁸

¹ rajnai = rheinisch = rhénan ² széltében-hosszában = kreuz und quer = en long et en large ³ meredek lejtő = steiler Abhang = pentes abruptes ⁴ emlékeztet = erinneren = rappeler ⁵ baj = Not = nécessité ⁶ rábíz = anvertrauen = se confier ⁷ gúnyolódó = Spötter = moqueur ⁸ pörül jár = es ergeht jämmerlich = mal leur a pris

Nauta quidam Superrhenanus erat, qui rate suā ab oppido Basilea⁹ venit et urbem Coloniam¹⁰ contendit, sed, quia iam advesperascebat, ad oppidum Bingen ancoram¹¹ iacere¹¹ coactus est et in oppido Bingen cum hominibus laetis puellisque Rhenanis potans vesperum amoenissimum egit. Hic multa de Sancto Stephano narrata audivit et multi, quo miro modo ab Sancto in discrimine¹² servati essent, narrare potuerunt. Ita etiam hic nauta pius sibi Sanctum potentissimum, mira facientem, ut etiam se adiuveret, orandum esse putavit, nam quod certum est, est certum et «vorago»¹³ ad oppidum Bingen iocum non patitur. Dictum, factum! Inter multas preces ad S. Stephanum, abundantans votis omnis generis, quae, si felix voraginem transvectus foret, se soluturum esse promisit, mäne iter ingressus est. Cum se iam locum periculosum feliciter praeterisse putaret, astute¹⁴ subridebat. Digitis crepans¹⁵: «Stephanule, ne tantum quidem, accipies» ait. «Cur crumenam¹⁶ adeo exspoliam! Voraginem iam reliqui, sancti autem procul sunt. Cur igitur, quae in necessitate vovi, persolvam?» Sed vix haec verba impia nefandaque locutus est, cum navis ad «oculum», scopulum¹⁷ terribilem, in undis latentem, allisa¹⁸ et statim tota unā cum nauta in fluctibus Rheni submersa est, nec quisquam postea cadaver nautae invenit. Dr. Elisabetha Nagy, Bp.

⁹ Bâzel = Basel = Bâle ¹⁰ Köln = Cologne ¹¹ horgonyt vet = vor Anker gehen = jeter l'ancre ¹² periculo ¹³ «lyuk» örvény = «Loch», Strudel = gouffre ¹⁴ furfangosan = verschmizt = d'un air rusé ¹⁵ csettint = schnalzen = claquer ¹⁶ erszény = Beutel = bourse ¹⁷ szirt, zátony = Klippe, Fels = écueil ¹⁸ ráfut = auflaufen = se heurter

Ad Sanctum Stephanum.

Lud. Meskó Sch. P. Budapestinensis.


1. O Rex beate Pannonum,¹
Gentis corusca² gloria,
Nunc invocamus supplices,
Sis ad Deum custodia!
2. Quos obruere³ crimina,
Caelique nesciunt viam,
Inter dolos, mendacia
Morti ruunt, sed obviam:
3. Regas, o Rex, nos, quaesumus,
Tu stella fulgens iugiter,⁴
Gentis salutem cogitans,
Qui repperisti Christi iter.
4. Forti manu nos protege,
Quae dura pravis, larga erat
Sed destitutis,⁵ quam Deus
A peste⁶ mortis⁶ liberat.
5. Qui sanctus educans pium
Sanctumque filium⁷ viā
Caelesti et exemplo bono:
Fac, ut iuventus sit pia!
6. Piēque vivens, Sancte, Te
Sequatur, corde non senex
Matrem ad Mariam transeat,
Vitae⁸ venit si mors ober⁸

7. Laudare,⁹ fuso sanguine
Qui per crucem suos beat,
Flamenque¹⁰ Patris, qui novo
Nos igne Christi repleat.

¹ Hungarorum ² splendida ³ obruerunt ⁴ semper
⁵ desperantibus ⁶ interitu ⁷ Emericum ⁸ vitam impediens
⁹ scilicet: eum, qui ¹⁰ Sanctum Spiritum

Franciscus Kölcsey. (1790—1838.)

Hoc anno celebratur centenarium mortis Francisci Kölcsey, viri illius praeclarissimi, cui Hungaria maximam debet gratiam. Ille discipulus collegii Debrecinensis hoc anno annum 400-um celebrantis erat et iuventutem scholis solutis in praedio suo Cseke «procul negotiis», sed non procul studiis continuis degit. In secessu¹ suo non solum linguam Latinam, Graecam, Gallicam, Germani-



cam didicit, sed etiam diligentissime litteras eorundem populorum et Hungarorum cognovit adeo se erudiens, ut fere omnes viros doctos Hungaricos saeculi sui animo exulto superaret.

Eodem tempore litterae Hungaricae celeribus progrediebantur passibus, sed ille in hoc progressu celeri multa inveniens vitia, ut sensum² litterarum² et scriptorum et lectorum acueret, opuscula critica scribere coeperat. Censor severus, sed etiam iustus et benevolus erat, qui tamen immerito a multis iniustus vocabatur, immo etiam accusabatur, quod nationem suam violavisset, sed constat eum munere censoris fungentem litteris Hungaricis evolvendis³ maxime profuisse.

Patriae etiam de aliis rebus scribens vitia castigando et iter bonum demonstrando continuisque adhortationibus prodesse studebat. «De traditionibus nationalibus» disserens Hungaris, quod memoriam maiorum non satis colebant, reprehendit. Ipse peritissimus monumentorum Hungariae erat, materiam quoque carminum, quae plerumque amorem patriae Hungarorum confirmaturus scripsit, e rebus gestis populi sumpsit. Quorum pulcher-

¹ magány = Einsamkeit = solitude ² irodalmi ízlés = literarischer Geschmack = goût littéraire ³ kifejlődés = Entwicklung = développement

rima sunt: Carmen Nicolai Zrinyi et in primis Hymnus, qui mox a Francisco Erkel notis musicis accomodatus⁴ cantus nationalis noster factus est.

Meritis in dies maioris aestimatis secessu rustico evocatus in comitatu⁵ Szatmáriensi rebus publicis occupari coepit et omni modo, ut cultura comitatūs ad maius erigeretur, nitebatur. Superest epistula ab eo ad Ludovicum Kossuth scripta, in qua, ut bibliothecas publicas instituerent, comitatūs hortatus est. In vita publica comitatūs arte oratoria adeo excelebat, ut legatus ad comitia regni⁶ Posenium mitteretur. In qua urbe antiqua per multa monumenta historiae Hungariae cotidie oculis ei obversabantur: arx regis Mariae Theresiae, cathedralis, ubi olim Petrus Pázmán concionabatur⁷ longusque regum nostrorum ordo diademate Stephani Sancti coronatus est, domus vetus comitorum, ubi per saecula leges Hungariae ferebantur, aedes academiae quondam a rege Matthia Hunyadi aedificatae, multaque cetera

aedificia a maioribus fundata traditaque. Hic magna cum vi animi iura populi defendebat, sed permultas orationes etiam pro rusticis ad privilegia nobilium tollenda⁸ ille vir nobilis, prisci generis, habuit. Sententiis politicis comitatūs sui permutatis abdicavit se munere legati et in secessum rediit.

Ibi scripsit Parainesin, opus ultimum, in quo, quemadmodum de omnibus rebus vitae cogitet, complectitur. Quo opere praecipue iuventus pulchram ab eo accepit hereditatem, sed operibus exemploque vitae laboriosae et integrae toti populo dona maximi pretii legavit, quorum nunquam nobis oblivisci licet.

Oscarus Suszter Zalaegerszegiensis.

⁴ megzenésít = in Musik setzen = mettre en musique

⁵ vármegye = Komitat = comitat ⁶ országgyűlés =

Reichstag = parlement ⁷ prédikál = predigen = prêcher

⁸ megszüntet = aufheben = abolir

Hymni nationales.

I. Hymnus Hungaricus.

Scripsit *Fr. Kölcsey*, convertit *Jos. Irsik*. Ad modos aptavit *Fr. Erkel*.

Lente.

p
Au - ge - as Deus Hun - ga - ros Re, ju - cun - di - ta - te, Dex - te - rā de -

mf *f*
fen - de nos, Hos - te con - flic - tan - te; Sae - clum da ju - cun - di - us, Gen - ti pas -

ff *p*
sae du - ra, Prae - ter - i - ta lu - i - mus Jam nec non fu - tu - ra.

Mulieres Csobancenses.¹

Pagina excerpta ex fabula *Fr. Herczeg* historica «Pro libertate» intitulata. Conv. *Aem. Láng* Keszthelyensis.

Milites comitis Rabutin de Bussy asperrimā hieme ab litore lacus² Pelsonis² congelati³ agmine⁴ facto⁴ equitabant ad Arrabonam,⁵ ubi cum copiis Starhembergiis coniungerentur. Mareschallus⁶ «contumaciā malevolā» Transdanubianorum vehementer exacerbatus⁷ est, quod agrestes ubicunque frugibus in terram infossis⁸ pabulisque⁹ exustis, ne quid a militibus requiri¹⁰ posset, in arundineta¹¹ atque silvas aufugerunt. Cum exercitus imminutus sub colle Csobánc equitabat, in summo castello rubrum vexillum Rakoczianum vento gelido agitabatur.

«Castellum tantum triginta satellites tenent», dixit generalis Kreutz, qui captivus nuperrime ex custodia Hungarorum redemptus erat. «Ab exploratoribus nuntiatum est multas esse in castello uxores praefectorum Curuzonum.¹² Mulieres pecunias atque pretiosissima¹³ rerum¹³ suarum ibi

¹ Csobánc saec. XVII. fuit castellum Hungaricum trans Danubium ad lacum Pelsonem. Ruinae in imagine nostra cernuntur ² Balaton ³ befagyott = zugefroren = prendre, geler ⁴ zárt menetben = in geschlossenem Zuge = en rangs serrés ⁵ Győr ⁶ tábornagy = Marschall = feld-maréchal ⁷ elkésérít = erbittern = exaspéré ⁸ elás = eingraben = enfourir ⁹ takarmány = Futter = fourrage ¹⁰ követel = erfordern = exiger ¹¹ nádás = Röhricht = roseaux ¹² Sic appellati sunt milites Rákócziani ¹³ értékes holmi = Kostbarkeiten = objets de prix

congesserant, quae fortasse operae¹⁴ pretium¹⁴ est¹⁴ investigare. Si Vestra Excellentia quingentos milites mihi dederit. . . »


— Mille tibi dabo, respondit Rabutin. Quingenti pro hac re mihi satis esse videntur. Munitiones¹⁵ iam obsoletae¹⁶ sunt, castellum ne fossas quidem aquatas habet. Tamen mille tecum duc!

Mille milites praedae avari in arduum clivum ascenderunt. In summo colle magnā voce praesidium arcis acriter inclamaverunt, ut portas subito aperirent. Defensores e sclopetis¹⁷ glandes¹⁸ in eos coniciebant. At, mirum, super moenia milites vix cerneret, tantummodo feminas concitatā voce clamantes.

«Scalae moenibus admoveantur! Petardis ad evertendas portas utamini!» imperavit Kreutz.

(molares³³ praecipites ire credas), qui longis saltibus in decedentes copias devoluti³⁴ inter milites sanguinolentas vias aperuerunt. Ex recessu³⁵ fuga fit trepida, et milites velut³⁶ mente³⁶ captā³⁶ in vallem se praecipitaverunt.³⁷

Mareschallus Rabutin, qui ex valle oppugnationem observabat, equum conscendit et voce asperā signā³⁸ moveri³⁸ iussit. Secum murmurabat generalem Kreutz semper virum simplicem³⁹ fuisse. Agmen sub caelo frigido tacitum abscessit. In clivo tercenta et quinquaginta funera iacebant, in quibus erat et generalis Kreutz et circa quinquaginta praefecti. Quorum multi spe praedae ultro se proelio obtulerunt. In summo castello sub vexillo Rákócziano triginta viri et centum feminae laudes Domini cecinerunt.



Discipuli gymnasii Keszthelyensis ante ruinas Csobancenses (luce pinxit Em. Szerecz director).

A defensoribus ingentes trunci¹⁹ deiciebantur, quibus hostes a scalis avulsi²⁰ magnam partem leto assumpti sunt. Kreutz irā incensus est: «Quam absurdum! Castellum est, — inquit, — arx nullius²¹ momenti,²¹ quod intra decem minuta dirui potest atque diruenda est. Agitedum domini praefecti!»


Et ipse ense destrecto milites denuo ad scalas praecipites²² agebat.²² Sed tantus imber aquae picisque²³ fervefactae²⁴ ac tantus grando²⁵ saxorum²⁵ desuper cadebat, ut miles iterum repelleretur.

Interim petardis diplois porta ferrata ingenti cum fragore procidit. Granatarii²⁶ clamore²⁷ sublato²⁷ procurrerunt, at triginta satellites sub humili fornice²⁸ cum falconeto²⁹ eos exspectabant, itaque oppugnatores perterriti recesserunt.

Iratus saevit Kreutz: «Omnes in castello habitantes vivos comburendos curabo! — clamabat. — Ita me Deus servet!» Eodem momento temporis glande³⁰ plumbeo,³⁰ quo in fronte ictus erat, ad eundem Deum ad imperandum³¹ vocatus est, cuius nomen huic caedi immiscuit.

Pars militum oppugnatione abstitit. Praefecti frustra imperare et diras poenas eis minitari, gregarii³² per clivum se demittere coepisse, quibus plures pluresque adiunguntur, demum omnes recesserunt. Sed tum collis intremuit lapidibus,

¹⁴ érdemes = ist d. Mühe wert = cela vaut la peine ¹⁵ erődítések = Befestigungswerk = fortifications ¹⁶ elavult = abgenutzt = vétuste ¹⁷ puska = Gewehr = fusil ¹⁸ golyó = Kugel = balle ¹⁹ fatörzs = Baumstamm = tronc d'arbre ²⁰ lesodor = losreißen = balayer ²¹ jelentéktelen = unbedeutend = insignifiant ²² hanyatt-homlok kergetni = Hals über Kopf jagen = chasser précipitamment ²³ szurok = Pech = poix ²⁴ forró = brennheiss = bouillant ²⁵ kőzapor = Hagel von Steinen = grêle de pierres ²⁶ gránátos = Grenadier = grenadier ²⁷ harci rivalgás = Siegeschrei = avec une grande clameur ²⁸ bolthajtás = Gewölbe = voûte ²⁹ seregbontó (ágyú) = kleine Kanone = fauconneau (petit canon) ³⁰ ólomgolyó = Bleikugel = balle de plomb ³¹ rapportra (parancs átvételére) = Rapport (um Befehle zu empfangen) = au rapport ³² közkatona = gemeiner Soldat = troupiér ³³ malomkő = Mühlstein = meule, meulard ³⁴ legurul = herabrollen = rouler ³⁵ visszavonulás = Rückzug = retraite ³⁶ esze-veszeten = wie verrückt = comme des fous ³⁷ hanyatt-homlok lerohan = sich jählings herabstürzen = se précipiter à la débâdada ³⁸ megindulni = aufbrechen = partir ³⁹ együgyű = einfältig = simple, naïf




Tabulae mortuorum. Britanni lugent matrem *Elisabethae reginae*, Rumani autem *Mariam matrem Caroli regis*, quae bello gentium finito effecit, ut patria Transsilvaniã aliisque Hungariae Austriaeque partibus augetur. Ut *Daily Express* narrat, Maria elegantia omnes mulieres superavit, nam cum Parisiis condiciones pacis tractarentur, 60 vestibus,¹ 32 mantellis, 22 pallii pellicii,² 29 pileis, 83 calceis omnium admirationem movit. — *Leo Frobenius* indagator³ Africae doctissimus, praefectus musei populorum Francofurtiensis, 65 annos natus mortuus est. — Slovaci lugent obitum⁴ ducis *Andreae Hlinka*, qui propugnator autonomiae Slovacorum impavidus fuit.

Bellum in Hispania, quamquam dux nationalistarum, *Franco*, hostes Iberum flumen transgressos reppulit, nondum finitum est. Etiam in *Sina* pugnatur, ubi cum Sinenses aggeres Gilvi⁵ fluminis interscinderent, quamquam hostes paululum regredi coacti sunt, tamen permulti utrimque in undis perierunt. Etiam Russi, postquam ad montem Tsang-Cu-Fen in confinio⁶ Coreae et Manduriae Japonenses aggressi sunt, clade acceptã recesserunt. — Neque in *Palestina* patronus provinciae, Britannia, belli civilis inter Arabes Iudaeosque finem facere potuit. — Ne in *Ceskoslovacia* bellum civile inter nationes minores autonomiam poscentes atque inter gubernium Pragense autonomiam dare recusans oreretur, *Runciman* vir nobilis (vulgo : lord) Londinio Pragam missus est, ut in novo meliore reipublicae statu constituendo populos certantes adiuvaret. — Sine bello inter *Turcas Francogallosque*, patronos Syriae convēnit,⁷ ut Turcis urbis et provinciae Alexandrette sua iura darentur. — Postquam Turcae et Germani iam pridem ius se armandi ipsi sibi recuperaverunt, nunc demum⁸ populi vicini etiam *Bulgaris* et nobis *Hungaris* quoque ius armorum bello gentium finito ademptum reddiderunt. Sperandum est fore, ut dehinc *Bulgaris*, *Hungaris* ceterisque nationibus minoribus, quae sine populi⁹ scitu⁹ aliis populis adiunctae sint, sua iura tandem concedantur.

Sollemnia S.-i Stephani in Hungaria praecipue in urbe Budapestino, ubi die S.-i Stephani quotannis pompa¹⁰ sollemnis circumit, et in oppido Strigonio, ubi conditor Hungariae christianae baptisatus¹¹ et palatium regium aedificatum erat, cuius ruinae nuper excavatae sunt, et in oppido Alba Regia, nam multa per saecula etiam comitia regni huc convocabantur, ubi S. Stephanus et 15 reges postea sepulti sunt, celebrabantur. Non solum corona regia in publico exposita et monstrata est, sed etiam manus dextra regis mirabiliter integre conservata aureo tramine¹² tota in Hungaria circumlata pietatem reverentiamque erga regem apostolicum annis 900 ante vitã decedentem spectatoribus renovavit auxitque.

Gubernator noster vitéz¹³ Nicolaus e nobilibus Horthy de Nagybánya, qui toto regno gaudente atque gratulante 70-um vitae annum mense Iunio expleverat, post Italiam Poloniamque etiam a Germanis invitatus septem fere dies cum uxore in Germania morans hospitaliter acceptus est ab *Duce Adolfo Hitler* et multitudine ubique acclamationibus salutanti. In portu Kielensi uxor



gubernatoris nostri baptisavit navem¹⁴ speculatoriam¹⁴ aeratam¹⁴ ingentem (200 m longam), quae in mare deducta nomine «Princeps Eugenius» renovat memoriam illorum temporum, cum ex patria nostra Eugenio duce et Germanis auxiliantibus Turcae expulsi sunt. Germani dicunt cum suã tum etiam pacis Mediae Europae interesse,¹⁵ ut Hungaria sit valida et contenta.

Gustavus V, rex Suecorum, praeter alios maxime popularis, 80 annos natus mense Iunio non solum sui populi, sed totius fere Europae gratulationes accipere potuit. Omnes admirantur regem, qui etiam nunc vir¹⁶ gymnicus¹⁶ est. Antea taeniludio¹⁷ fruebatur, nunc autem venator peri-

¹ vulgo : toilette ² bunda = Pelz = manteau de fourrure ³ kutató = Forscher = explorateur ⁴ elhúnyta = Hinscheiden = décès ⁵ Sárga = Gelb = Jaune ⁶ határszél = Grenzscheide = aux confins ⁷ megegyezés jött létre = einigten sich = un accord a été conclu ⁸ végre = endlich = enfin ⁹ népszavazás = Volksabstimmung — plébiscite ¹⁰ körmenet = feierlicher Umzug = procession ¹¹ megkeresztel = taufen = baptiser ¹² vonat = Eisenbahnzug = train ¹³ titulus eorum, qui in bello fortissime pugnabant ¹⁴ páncélos cirkáló = Panzerkreuzer = croiseur cuirassé ¹⁵ érdekében áll = es ist daran gelegen = c'est l'intérêt ¹⁶ sportember = Sportsmann = sportif ¹⁷ teniszezés = Tennisspiel = jeu de tennis

tissimus est, cuius collectio cornuum damarum¹⁸ clarissima est. Quamquam Norvegia a. 1905 unione personali omissā suum sibi regem creavit,



Familia Gustavi V-i. Heres regni Gustavus Adolphus filiusque eius stant, rex in gremio habens nepotis filiam maiorem, Margaretham sedet inter nurum Ludovicam et nepotem Sibyllam, quae filiam minorem Brigittam tenet.

tamen Gustavus V amicitia cum Norvegis coniungitur. Rex a populo 3,300.000 coronarum suecicarum donatus hanc summam pecuniae rei sanitariae promovendae dedit. Sollemnibus Holmiansibus reges Norvegiae, Daniae atque praeses Finniae interfuerunt.

Francogalli diem natalem millesimum Summi¹⁹ Pontificis¹⁹ *Sylvestris II-i* celebraverunt, qui a. 938 in provincia Auvergne natus, nomine Gerbertus d'Aurillac, a. 1000-o coronam regiam legatis S.-i Stephani primi regis nostri dedit. Sylvester francogallice «savant,²⁰ faiseur²¹ de rois²¹ et pontife suprême²² hodie quoque dicitur. — Ecclesia cathedralis Reimsiensis, — quae antiquior est, quam natio Francogallorum, nam cum Clovis rex Francorum ibidem baptisatus est, altare maius iam stabat, — bello gentium pyrobolis²³ aeronautarum et globis²⁴ tormentariis²⁴ adeo diruta est, ut e. c. 22 pilarum²⁵ magnarum 7 cum fornicibus²⁶ corruerent, 18 fenestrarum autem vitrearum pictarum solum 4 incolumes manerent. Forte *Henricus Deneux* architectus, qui ante bellum studio artis ductus omnes cathedralis partes delineaverat,²⁷ in bello non mortuus est, quare aedificium restaurari potuit. Sumptus 140,000.000 librarum (vulgo : franc) in publicum conferendo²⁸ paulatim collectus est, Rockefeller iunior ipse 15,000.000 dedit. Missae pontificali, qua Rev.-imus *Suhard* archiepiscopus²⁹ Cardinalis Reimsiensis cathedralem iterum consecravit, etiam praeses Francogalliae *Lebrun* interfuit.


Russi, postquam hoc triennio de 50 ministris, 300 ducibus belli (vulgo : generalibus), 1500 praefectis superioribus supplicium³⁰ sumpserunt,³⁰ ac nuper etiam *Ottonem Schmidt* professorem,³¹ investigatorem³ clarissimum poli septemtrionalis

ut hostem patriae supplicio³⁰ affecerunt,³⁰ etiam ultimam unicamque Moscovae cathedralem horribili Stalinio ipso iubente demoliti sunt.

Archaeologi Italici plus 10 annos investigando hac aestate multos tumulos atque cadavera invenerunt militum, qui a. 216 a. Chr. n. in pugna ad Cannas ceciderunt. Nonnulli Romanos mortuos (ad 70 milia) a victoribus in Aufidum fluvium iactos esse, cadavera inventa igitur militum Carthaginiensium esse putant.

Londinium mense Januario huius anni 8,233.942 incolae habebat, ut in fastis³² nuper editis legitur. Quotannis 56.000 infantium nascuntur, 51.000 hominum moriuntur, 187 diebus pluit, 42 dies sunt nebulosi, sol singulis diebus 3¼ horas cernitur.

¹⁸ dāmvađ = Dammhirsch = daim ¹⁹ vulgo : Papae
²⁰ doctus ²¹ regum creator ²² Summus Pontifex ²³ bomba = Bombe = bombe ²⁴ ágyúgolyó = Kanonenkugel = boulet de canon ²⁵ pillér = Pfeiler = pilier ²⁶ boltozat = Gewölbe = voûte ²⁷ lerajzol = nachzeichnen = dessiner ²⁸ adakozik = beisteuern = donner, faire des dons ²⁹ érsek = Erzbischof = archevêque ³⁰ kivégez = hinrichten = exécuter ³¹ non socius noster ! ³² évkönyv = Jahrbuch = annuaire



De camelopardale¹ et duabus palmis.


Scripsit : *I. Kalmer*. Latine reddidit *Ioannes Ieney dr.* Sch. P. Debrecinensis.

Ante repositorium² vitreum² venit mihi in mentem historia, quae ab ineunte aetate mea in me alte sepulta erat. Ita est, ut homines quodam tempore acta pueritiae iterum recorderentur. Nemo scit, qualis sit causa, quae memoriam huius casus revocet — mihi causa involucrum³ epistulae³ cum 25 pittaciis⁴ coloniarum Lusitanarum⁵ erat. Involverum non pluris unā marcā constitit, cui pulcherrimum pittacium praeclarum stansque Nyasense agglutinatum erat⁶: camelopardalem et duas palmas repraesentans. Nescio an nimium⁷ meum studium⁷ descriptionis itinerum regionumque remotarum ab maginibus exoticis pittaciorum oriatur, at certe scio Carolum Zinken-hofium discipulum pauperrimum classis tertiae, in conspectu meo fuisse, cum camelopardalem et duas palmas conspexerim.

Nudam porticum contignationis secundae gymnasii nostri ante oculos video. Tractatorium⁸ directoris in hac porticu situm erat. Et id certe scio hanc porticum nobis laetitiae non fuisse, qui ibi «honeste» se gerere debuerint. Cuius memor sum eā ipsā de causa (exceptis ambitiosis)⁹ intervalla¹⁰ ad quietem data¹⁰ nos in contignatione inferiore egisse. Ibiq̄ue evenit conflictus inter me et Zinken-hofium.

¹ zsiráf = Giraffe = girafe ² kirakat = Schaufenster = devanture ³ levélborftek = Briefumschlag = enveloppe ⁴ bélyeg = Briefmarke = timbre-poste ⁵ portugál = portugiesisch = portugais ⁶ volt ráragasztva = klebte obenauf = était collé ⁷ előszeretet = Vorliebe = prédilection ⁸ iroda = Kanzlei = bureau ⁹ akarnok = Streber = arriviste ¹⁰ óráközi szünet = Zwischenpause = récréation

Zinzenhofius libros suos e societate¹¹ rei¹¹ subsidiariae¹¹ administrandae¹¹ accepit, Zinzenhofius a mercede scholastica immunis erat, Zinzenhofius bracas¹² contritas¹² in genibus gerebat et tunica¹³ eius manicata¹³ in cubitis¹⁴ resarta erat. Zinzenhofius nunquam cibum¹⁵ antemeridianum¹⁵ secum tulit et patrem eius, unum ex sarcinatoribus¹⁶, non tantum quaerere, quantum familiae satis esset, fama erat. Ipse etiam ientaculum a sociis haud dubie non amore permotis accepit, sed quia ille erat



Cathedralis Reimsiensis (pag. 9).

optimus mathematicorum classis et scientiā suā sociis imbecilli¹⁷ ingenii succurrere non recusavit. Zinzenhofius etiam perdere¹⁸ aliquid periclitabatur¹⁸, si aliis auxilio opus erat. Zinzenhofius tantum unum vitium¹⁹ habebat: pittacia cursualia¹⁹.

Nescio, cur scidulis²⁰ varii coloris adeo attractus sit. At certum est se pittacio accepto aliis pensum domesticum perfecisse et ad omnia stulte facta promptum fuisse, ut pulchrum pittacium accipere possit. Quomodo ille fundamenta collectionis suae iecerit, nescio, sed certe ille in classe pulcherrimam collectionem habebat. Non affirmare audeo, me animam meam pro pittacio vendere potuisse et propterea conflictum cum Zinzenhofio hodie intellegere non possum. Narrare rem ipsam possum, at causas explicare iam nequeo. Casus fere sequenti modo accidit:

Ego pittacia quamquam colligebam, tamen nihil²¹ meā²¹ intererat,²¹ utrum unus ex dentibus an totus margo deesset, dummodo quam plurimum habeam. Qua occasione abusus est Zinzenhofius, quocum familiaritas me iungebat (fortasse ideo, quia totā vitā mathematicus imbecilli ingenii eram). Videlicet pittacia diligenter permutabamus. Permutabamus omnibus horis itemque intervallis ad quietem datis. In cura²² temporis commercii eligendi non fuimus nimii.²² Aliquando — recorder, sabbato horā Latinā evenit — pittacium Nyasense permutavi (camelopardalem duasque palmas) cum pittacio unius coronae Bosnia-Hercegovinensi et cum altero Decem-Pararum Austriaco Orientali (vulgo: Levante), proprie enim peritissimus²³ Haemi²⁴ eram.

Animum illā horā iam aegre attendere potui. Pittacia primum accurate contemplantur. Pittacia Bosniensi sine dubio unus ex angulis deerat, alterum autem Decem Pararum «tenuē»²⁵ erat. Talis res parvula mihi stulto haud praecipue curae erat, sed calamitas sic secum ferebat, ut Nielsen, discipulus sinistrorsum sedens, «Senfium» mihi admovent. Opinaturne aliquis vestrum, quid sit «Senfius?» Hoc est nomen cathalogo, qui quotannis pretium pittaciorum edit. Constituimus igitur cum Nielsenio me a Zinzenhofio horribilem in modum deceptum esse.²⁶ Quoniam meum pittacium Nyasense quinque pfennigibus pluris erat duobus illis, quae Zinzenhofius mihi dederat. Praeterea in pittacio Bosniensi tantum aliqua regio Haemensis erat, in altero autem Decem-Parano Franciscus Iosephus — quid erat comparatum hoc ad camelopardalem et duas palmas!

(Finis sequetur.)

¹¹ segítő egyesület = Schülerlade = société d'assistance ¹² kikopott nadrág = fadenscheinige Hose = pantalon usé ¹³ kabát = Jacke = veston ¹⁴ könyök = Ellenbogen = coude ¹⁵ tízórai = zweites Frühstück = collation de 10 heures ¹⁶ foltozósabó = Flickschneider = tailleur en vieux ¹⁷ gyenge = schwach = faible ¹⁸ kockázattal = riskieren = risquer ¹⁹ gyengéje = Schwäche = faiblesse ²⁰ papírdarab = Papierchen = morceau de papier ²¹ mindegy volt nekem = es war mir gleichgültig = cela m'était égal ²² válogató = wählerisch = difficile ²³ vulgo: specialista ²⁴ vulgo: Balcani ²⁵ vékony = dünn = mince ²⁶ rászed = begaunern = tromper

Cur et quomodo legamus „Iuventutem?“*

Scripsit: Ios. Guelmino, Budapestinensis.

Est inter discipulos meos quidam, macerior,¹ et ita tenuis, ut in² acum² inseri² posse videatur. Saepe aegrotat, miserimus.³ Iuvat autem me videre eius oculos splendentes et audire responsa optima. Sed quasi in corpore fesso⁴ animum indefessum nonnunquam fatigatum⁵ viderem. «Iuventutem» amat et beatus est lectā atque intellectā ephemeride. Hic sine dubio maximus amicus est «Iuventutis».

Omnibus autem notum est non omnes disci-

¹ vézna = mager = malingre ² tűbe fűzni = durch die Nadelöhr ziehen, einfädeln = enfilet dans une aiguille ³ szegényke: der Arme = le pauvre ⁴ fáradt = müde = fatigué ⁵ kimerült = abgehetzt = épuisé

pulos esse huius generis. Ita⁶ res⁶ se⁶ habet⁶ in classe quoque, ut in sino⁷ lactis.⁷ Flos⁸ lactis⁸ stratus⁹ exiguus est, infra quem lac liquidum et lividum,¹⁰ multo crassius, tenet locum. «Non usque ad imum implet flos lactis sinum», docet proverbium. Sed etiam hi amant «Iuventutem», sine dubio, quoniam «Iuventus» facilis est, iocosa et iucunda, res discipulorum abundanter, facile et facete¹¹ tractat. (Nec negari potest id quoque aliquid¹⁵ momenti¹⁵ habere,¹⁵ quod classe «Iuventutem» legente nemo examinatur.) Animos liberat, laetificat, risum movet et hilaritatem diffundit. Risus autem optimus est magister, quoniam, quod risu accipitur, et intellectu et corde accipi solet.

«Iuventus» ergo omnibus cara atque exspectata est et si paulo serius advenit, iam: «Nondumne¹³ prodiit¹³, quando legetur?» — interrogatur.

Hodie prodiit «Iuventus». In classe quinta horarium¹⁴ horam secundam designat linguae Latinae. Ianua aperta est et murmur lene exauditur in porticu scholae. Optime scio hoc murmur non plane¹⁵ repetitionis esse, scio multos esse, qui hoc tempus opportunissimum habeant, ut explicetur, quomodo hic vel ille humi¹⁶ prosternendus¹⁶ fuerit, sed etiam horum exardescunt oculi, cum me classem cum ephemeride intrantem concipiunt.

Tum breviter examinatur et brevi praeparatione facta iam «Iuventus» manibus tenetur. Ille macerior concitate¹⁷ quaerit res iocosas, quippe¹⁸ qui¹⁸ rem iocosam misit ephemeridi, et nunc, prodieritne, quaerit. Prodiit. Video surrisum¹⁹ perfuncti in vultu eius, video gaudium et animum²⁰ contentum²⁰ eius: prodiit. Hoc surrisu et gaudio coronatur opus eius, quo publicato:²¹ ecce adest gloria rei. Nam magnum est gaudium puero videnti nomen suum typis²² mandatum.²² Plus valet una res iocosa, quam pensum scholasticum, quoniam toto animo studet omnia quam optime exprimere Latine, quod si ei non contingit²³ absolute bene, sciscitatur et non requiescit, donec omnia bene fiant. Et ut praemium iustum etiam a me imperiatur²⁴ ei: «Videamus prius nostros!» enuntio; — «Estne quis vestrum, cuius opusculum in Iuventute publicatum est?» Et iam classis tota clamat nomen eius, qua re etiam a classe ille meritum accepit praemium. Et quoniam hominis²⁵ est²⁵ successu gaudere, magis magisque tenetur²⁶ studio huius rei (scilicet ut res iocosas, historias parvas, fabellasque Latine reddat) ita, ut semper facilius eveniat ei haec res et, — quod per se intelligitur, — in progressu quoque scholastico elegantiores atque elegantiores obtineat locum. Et quoniam exemplis trahimur maxime, semper plures inveniuntur, qui opusculis suis locum poscant in ephemeride, qua re evenit, ut lingua Latina magis magisque cara²⁷ acceptaque²⁷ existat.

Audiamus ipsam auctorem, appello illum. Et iam incipit legere:

— Gaude, care pater, comparsi²⁸ tibi decem pengones. (Et Hungarice quoque exprimit idem.)

— Quid fecit ergo hic optimus puer? — interrogo classem et iam digito designo unum, qui statim respondet: Comparsit decem pengones. (Et si ille non, alius certe profert responsum optatum.)

— Cui? — Patri, respondetur. — Et iam pergit auctor legere:

— Quomodo, carissime mi fili? Quomodo? — respondet pater laetus.

— Nonne promisisti mihi decem pengones, si anno scholastico finito non improbabor.³⁰


— Et nunc dimittis³¹ mihi istos?

— Non intelligis me, care pater. Non «dimitto» dixi, sed «comparsi». Id est, quia improbatum sum, tibi comparsi decem pengones.

— Ah, tu vere improbatum es, clamat pater irā incensus.

— Quid potuissem aliud facere ego, unicus discipulus, contra tot professores? — respondet ille vultu innocenti.

Risus personat classem. — Bene est, hoc tibi bono³² annumerabo,³² — dico et iam — Quot pengones promisit filio pater? — interrogo. — Quā conditione? Quid cogitavit igitur? (Filium



Maia et Mercurius (pag. 12).

sibi dimisisse debitum). Bene intellexit igitur illum? Et cum pater iam melius intellexit rem, quomodo defendit se filius?

Res autem interrogationibus repetita, naturā sermonis, melius atque melius intelligitur et naturā hominis gaudium affert, quoniam magnum est gaudium intelligere aliquem alienā linguā

⁶ úgy van az = das ist schon so = il en est de même ⁷ tejes-köcsög = Milchkanne = pot à lait ⁸ tejfel = Rahm = crème ⁹ réteg = Schicht = couche ¹⁰ kékellő = bläulich = bleuâtre ¹¹ szellemesen = drollig = en badinant ¹² nyom valamit a latban = ist von Bedeutung = être d'une certaine importance ¹³ nem jelent-e még meg = ist die J. noch nicht erschienen? = n'a-t-il pas encore paru ¹⁴ órarend = Stundenplan = horaire (d'une école) ¹⁵ teljesen = völlig = tout à fait ¹⁶ földhöz vág = zu Boden werfen = envoyer rouler à terre ¹⁷ izgatottan = aufgereggt = énérvé ¹⁸ mert hát ő bizony = nämlich = car lui ¹⁹ mosoly = Lächeln = sourire ²⁰ meglegedés = Zufriedenheit = satisfaction ²¹ közzé tesz = veröffentlichten = publier ²² nyomtatásban = gedruckt = imprimé ²³ sikerül = gelingen = réüssir ²⁴ megad = zukommen lassen = accorder ²⁵ emberi tulajdonság = es ist eine menschliche Eigenschaft = il est humain de ²⁶ lebilincsel = fesseln = captiver ²⁷ közkedvelt = allgemein beliebt = aimée et estimée ²⁸ megspórolni = ersparen = éconómiser ²⁹ folytat = fortsetzen = continuer ³⁰ megbukik = durchfallen = échouer ³¹ elenged = erlassen = remettre, en faire grâce à ³² javára írni = gutschreiben = mettre sur le compte de qqun

loquentem. Et cur non gaudeant hi pueri et cur non evadat labor semper facilius et denique cur non maturescat in hilaritate messis ista, qua de causa lingua Latina in scholis orbis terrarum docetur? Et si hoc per «Iuventutem» opportunissime effici potest, sine dubio gratia et laudatio debetur illi.

Ex historiis maxime eae, in quibus per labores et pericula, per animum³³ praesentem,³³ astutiam³⁴ et fortitudinem gloria paratur, tenent discipulos. Semper diligenter curandum est, ut historia, quae agitur, totam animi intentionem³⁵ sibi obtineat. Quid fit? Quo in periculo versatur? Audacia prompta³⁶ paratur victoria. Et victoria paratur gloria:

Si oculi ardent et ora intenta quasi interrogant: «Quid fit?» — tum cum historia lingua animum, sicut cum onere plaustrum³⁷ aream, certissime intrabit.

³³ lélekjelenlét = Geistesgegenwart = présence d'esprit
³⁴ ravaszság = Schlaueit = astuce ³⁵ érdeklődés = Interesse = intérêt ³⁶ elszánt = bereitwillig = décidée
³⁷ társzeker = Lastwagen = camion

* Sunt collegae, qui fasculos «Iuventutis» domi legendos discipulis tradunt. Alii ipsi ephemeridem in schola una cum discipulis legunt convertuntque. Quorum collegarum primus moderatore adhortante *Ios. Guelmimo*, professor gymnasii Academici Budapestinensis, socius atque amicus cum latinitatis, tum «Iuventutis» diligentissimus explicat quomodo «Iuventute» utendum esse putet. Moderator ceteros quoque collegas honoratissimos humillime rogat, ut publicandi causam scribant, quomodo discipuli ephemeridem nostram legant, utrum intra ipsa studia latina an in circulo scholastico, quis sit discipulorum huius circuli praeses, quaestor, etc.



Howardus Hughes vir Americanus ditissimus (vulgo: millionarius), 3 diebus 19 horis 17½ minutis orbem terrarum circumvolans primiceriatum¹ *Guillemi Post* 4 diebus correxit. Monoplanum eius humiliter² tectum² duobus motoribus vim 1100—1100 eorum adaequantibus instructum erat. In cella³ praeter eum duo aviatores militares et mechanicus et radiotelegraphista sedebant. Machina radiophonica singulis semihoris coniunxit eos cum Neo⁴ Eboraco,⁴ unde profecti erant semperque nuntios meteorologicos percepit. Duo gyroscopi quasi «aviatores automati» duobus pyxis⁵ magneticis⁵ situm⁶ monoplane ad Parisios Droitwichque versus significabant. Monoplane ab Americanis «laboratorium volans» nominatur (revera autem nomen «New York World' Fair 1938» inscriptum est). Iter aërium 22,944 chilometrorum,

si tempus benzinam supplendi causam descendendum deducitur,⁷ 2 diebus 23 horis 11 minutis pervolaverunt, celeritas igitur singulis horis circiter 320 chilometrorum erat.

Douglas Corrigan aviator Americanus audacissimus aëroplano obsoleto⁸ unum habenti motorem sine machina radiophonica et tabula geographicam Europae et aliis instrumentis ad volandum necessariis ex urbe Neo Eboraco in urbem Hiberniae,⁹ quamquam magistratu rerum aviaticarum vetante profectus et incredibili fortunam incolumis 30 horis pervolavit. Sed redeunti ei navi vehendum erat, nam ut poenam daret, per duas hebdomadas¹⁰ volare vetitus est.

Constructio «Huckepack» dicta. Quia aëroplana oneraria haud facile altitudinem desideratam assequi possunt, nova volandi ratio in Britannia inventa est: aëroplanorum geminorum¹¹ maius inferiusque, postquam alterum in altitudinem levavit, redit, minus autem illud onerarium nunc avolat. Sic aëroplanum «Mercurius» (vide imaginem) «Maiam» relicta ab oppido Hiberniae Foynes per urbem Canadae Montréal onus 500 chilogrammatum et pelliculas,¹² quae coniuges regios Britanniae Parisiis morantes describunt, cinematibus¹³ «primae hebdomadae» quae dicuntur Neo Eboracum portavit. Mare Atlanticum inter Hiberniam Canadae Mercurius 13½ horis pervolavit. Hunc primiceriatum mox vicit aëroplanum ingens Germanorum «Condor» 4 motoribus instructum, nam Berolino 25 horis pervolavit Neo Eboracum, tempus reditus multo brevius erat: 19 horae 54 minuta. Hic est maximus volatus¹⁴ sine intermissione¹⁴ (anglice: nonstop) ex Europa in Americam.


¹ rekord = Rekord = record (battere le~) ² alacsony-fedelű = Tiefdecker = aux ailes basses ³ fülke = Kabine = carlingue ⁴ New York ⁵ iránytű = Kompaß = boussole ⁶ helyzet = Lage = position ⁷ leszámfít = abziehen = déduire ⁸ ócska = veraltet = vétuste ⁹ Írország = Irland = Irlande ¹⁰ hét = Woche = semaine ¹¹ kettős = Doppel = double ¹² vulgo: filmes ¹³ mozi = Kino = cinéma ¹⁴ megállás nélküli repülés = Ohnehaltflug = vol sans escale

G. Gárdonyi: Ad magistrum tironem.

Convertit *Francisca Solc* disc. Kaposváriensis.

*Scholam, magister, cum tu primum intrare vis,
 Tunc Christi comitas tuis insit genis:
 Parvos omnes ad te venires iubeas,
 Manus parvas benigno corde mulceas.*

*Quorum si quis videtur pannosus, foedus,
 Tenerque vultus est nimis dolens, maestus:
 Illum immature multa cognosces pati,
 Quare parvum amplexu osculaturus tu ad!*



RES FEMINEAE.


De itinere Polonarum discipularum Budapestinensi.

Cum Cracoviae in gymnasio Vandae Polonorum reginae fama percrebuisset¹ dominum reverendissimum doctorem *Król* officio² itinerario² «Fran-

men nostrum in horas minuebatur, nam pluviis³ et frigore impediabamur, quominus pulchritudinem regionum admiraremur. Vespere tandem sol apparuit, cuius splendore terra Hungarica illuminabatur. Iam fere noctu Budapestinum venimus. Qui visus semper nobis in memoria haerebit. Danuvius enim plurimis igniculis, quibus omnia adiacentia aedificia et omnes pontes ornati erant, conlucebat. Quae pulchritudo! Qui splendor! Quae imago nobis ex unius et mille noctium fabulis sumpta esse videbatur. Sed iam appulimus⁴ et statim autocarris⁵ primum in alteram scholam, ubi cena nobis parata erat, postea in alteram, ubi domicilium nobis destinatum erat, pervenimus.

Die proximo sol splendidissimus apparuit. Mane nobis surgendum erat, ut missae sollempni, cum in Heroum Foro celebraretur, interessemus. Praeterea maximam laetitiam, cum Congressus initium fieret, sermonibus omnium populorum delegatorum adfuimus. Vespere autem totam in Danuvio processionem navalem admiratae sumus. Dies insequentes in Budapestino visendo consumpsimus.

Puellae Cracovienses in Senatu Hungarico. Rev. Nodzynski in I-o subsellio, B. Sypniewska et uxor moderatoris in II-o, pone B. Sypniewska moderator sedet.



copoli» adiuvante discipularum iter ad congressum Eucharisticum Budapestinum parare, cuius itineris etiam scholae nostrae discipulae participes esse possent, tota schola maximo gaudio affecta est. Postquam dominus rev. religionis professor noster *Iosephus Nodzynski* numerum participum stabilivit et nummos ad iter necessarios a discipulis collegit, tandem die constituta, id est a. d. IX. Kal. Iun. (die 24 mensis Mai) vespere 80 fere totius Cracoviae discipulae, in quibus 20 circiter gymnasiae nostrae discipulae, urbi Cracoviae et parentibus et amicis «Vale» dixerunt.

Proximo die mane Bratislaviae aliquot horas mansimus. Unde nave iter nobis secundo Danuvio flumine faciendum erat. Gaudium ta-

Hoc loco liceat mihi domino illustrissimo Iuventutis moderatori doctori J. Wagner gratias maximas agere, qui unam cum uxore sua quam benevolentissime consilio suo nos adjuvit, pulchritudinem urbis nobis demonstrans et aedificia, quae maximi momenti⁶ essent, nobiscum visitans.

Quattuor dies tantum Budapestini moratae sumus. Omnia tamen, quae vidimus, quia longum est, describere supersedeo.⁷ Nam Budapestinum

¹ elterjed = sich verbreiten = se répandre ² utazási iroda = Reisebüro = bureau de voyage ³ eső = Regen = pluie ⁴ kiköt = landen = amarrer ⁵ vulgo : autobus ⁶ jelentőségű = von Bedeutung = les plus importants ⁷ nem győzném = mag ich nicht = je renonce

certe in pulcherrimarum Europae urbium numero nominari potest. Cuius pulchritudo immota nobis semper ante oculos manebit. Semper praeterea memoriā tenebimus, quantā hospitalitate et amicitia ubique et ab omnibus excepti simus. Imprimis etiam exploratorum⁸ et exploratricum memores erimus, quae nos interpretum munere functae semper in tam hospitali terra, cuius lingua tamen nobis ignota erat, comitatae sunt. Admiratae sumus etiam ordinem, qui ne in minimis quidem rebus turbabatur, quamvis tot hominum milibus advenientibus, omnia praeparare et perspicere maximi laboris maximaeque curae esset.

Discipulae Polonae maximos huius itineris fructus ceperunt. Cognoverunt enim primum Hungaros fidem catholicam eādem atque⁹ nos pietate colere, deinde Hungariam cum Polonia artissimis¹⁰ amicitiae vinculis coniunctam esse. Tum intellexerunt, quid magna disciplina et diligentia comparare posset, quid linguarum scientia valeret, quid sibi, ut occasione datā hospites Hungaricos pari modo acciperent, imitandum esset. Multas praeterea amicitias iunxerunt, ex quibus magnum, ut spero, litterarum¹¹ commercium¹¹ eveniet.

Ex quibus id unum certe me affirmare posse apparet: nullum omnium excursionis participum ne unum quidem momentum paenituisse, quod novarum rerum cupidine Budapestinum se contulisset, eosque dies semper grato animo nos omnes recordaturas esse.

Dr. Barbara Sypniewska, Cracoviae, mense Julio.

⁸ cserkész = Pfadfinder = éclaircur ⁹ mint = wie = que ¹⁰ szoros = eng, fest = étroit ¹¹ levélváltás = Briefwechsel = correspondance

LECTORIBUS MAIORIBUS.

Vivum Latinum.

1. In urbe Cassovia tabula memorialis latina Francisco Rákóczi II-o, quondam regnatori Hungariae et pro libertate dimicanti, posita est, cuius inscriptio haec est:



In sepulcro huius avitae ecclesiae requiescunt in domino ossa: Principis

FRANCISCI RÁKÓCZI II.

matris eius Hel. Zerinae et filii Josephi necnon trium fidelium sociorum, quos omnes infaustā sorte per duo saecula patria extorres grata posteritas ex terra diuturni exilii devote rettulit et die 29. Mens. Octobris anni 1906 in hoc loco sacro honestissimo cum exsequiarum cultu, ad requiem tranquillam pie ac digne denuo collocavit.

Siste Viator!

Honora tantorum heroum magna merita et praeclaram memoriam!

Monumentum hoc posuit senatus populusque huius civitatis anno Domini 1938.

Ladislav Balázs Cassoviensis.

2. Budapestinensis Eucharistici Congressus sollemnia me admonent miraculi Eucharistici anno 1345 Amstelodami perpetrati. Hostia consecrata in ignem proiecta illaesa prodiit ex flammis. Cuius rei in memoriam in media urbe illa perpetuo adoratur Sacramentum, quotannis Idibus Martiis 20.000 virorum nocturnam agunt *processionem* et eam silentio devoto, imagines ubique in templis Batavorum conspiciuntur *miraculum inter flammis* referentes. Anno 1924 urbs princeps Batavorum Eucharisticum Congressum hospitio excepit. Vidimus tum gentes, praelatos, artes, audivimus diversas linguas. Audivimus *Friedericum van Eeden* poetam canentem:

'Ad festas epulas, inquit, properate frequentes,
Haec vox pacis erit: 'Sumite pascha novum!'

In imagine a *Ioanne Brom* excusa Hostia in flammis permanet illaesa et adoratur ab Angelis. In hoc signo Batavia salutatur Hungariam.

Dr. Th. Philips Osnabrugensis.

3. Catalogus Fontium Historiae Hungariae aevo Ducum et Regum ex stirpe Arpad descendentium ab anno Christi DCCC usque ad annum MCCC ab Academia Litterarum de S. Stephano Rege nominata editus *Iustiniani Cardinalis Serédi* principis primatis regni Hungariae Academiae Litterarum de S. Stephano Rege nominatae praesidis praefatione adornatus. Collegit, ex veteribus iam fugientibus editionibus revocavit, in nonnullis partibus ad fidem restituit et notis, variis indicibus, appendicibus, tabulis genealogicis, indiculis Pontificum, Regum ac Principum regnorum diversorum illustravit *Albinus Franciscus Gombos* Academiae Litterarum de S. Stephano Rege nominatae necnon Academiae Litterarum Hungariae socius ordinarius. Tomus I—III. Budapestini MCMXXXVII—VIII. Praetium 25—25—25 P.

Praefatio.

Academia Litterarum a S. Stephano nuncupata glorificationis eiusdem Protoregis et Apostoli nostri novies saeculare iubilaum monumento quoque litterario concelebrare cupiens Catalogum hunc fontium historiae Hungariae, qui ad aevum Ducum ac Regum ex stirpe Arpad descendentium referuntur, qui-

que sive intra, sive extra Hungariam reperiri poterant, Perillustri Viro Albino Francisco Gombos, Academiae nostrae socio ordinario, auctore colligi, praelo submitti atque publici iuris fieri curavit.

Quo opere concinnando ad Patriam quoque nostram referri voluit illud Psalmistae: «Cogitavi dies antiquos et annos aeternos in mente habui» (Ps. LXXVI, 6). Dum enim Catalogus praeteritorum ab incunabulis nationis nostrae saeculorum monumenta historica tanto Auctore digna sagacitate, discretione atque industria refert, Hungariae profecto recogitat praeterita; dum vero id pro imminente Protoregis et Apostoli nostri iubilaeo parat, respicit sane ponderatque futura.

Praeteritis niti mortalium naturae consentaneum est. Quemadmodum enim liberi parentes supponunt et avos: ita tempus praesens supponit praeteritum, sine quo intelligi non potest. Cum igitur tota vita nostra praeteritis nitatur: historia, magistra vitae, homines sive singulares, sive collective consideratos, adeoque vel ipsas nationes, ubi praeteritam despiciant vitam, futuram sperare non posse docet.

Nationis quidem nostrae vita praeterita, prout eam historia refert, maximam nobis pro spe futurae ministrat firmitatem, cum ex praeteritis rebus gestis ius nostrum ad vitam futuram adstruat meritumque ad meliorem fortunam. Quapropter nos res ante tot saecula gestas nationis nostrae hisce fontibus fere innumerabilibus sine ulla formidine patefacimus: praeterita videlicet vita iustificamus praesentem vindicamusque futuram. Ut autem ipse valor argumenti ex praeteritis ducti ubique vigeat: nemini permittimus negare praeterita, reticere praesentia nobisque abiudicare futura; immo vero ipsimet ultro pandimus praeterita, sustinemus praesentia, ut praeparemus futura, quia nationes non moriuntur.

Strigonii, die 30 Maii Festo Inventionis S. Dexteræ S. Stephani Reg.

Iustinianus Card. Serédi
Princeps Primas Hungariae,
Academiae litterarum a S. Stephano
nuncupatae Praeses.

Notae, indices, appendices, etc. huius ingentis latini operis plus 2400 paginas continentis in quarto tomo a. 1941 edentur (moderator).

Librorum recensio.

C. Galassi Paluzzi: Per l'uso del latino. (Rendiconto presentato al V° Congresso Nazionale di Studi Romani. — Roma, 1938.) — Praeses *Instituti Studiorum Romanorum* res magni momenti refert, quae usum linguae Latinae magnopere promovebunt. Multi viri docti Italiae *Dictionarium Scholasticum Latinum* concinnare aggressi sunt, quod amplitudine (2500 columnarum) et subtilitate omnia huiusce generis opera superabit. In parte Italico-Latina ratio peculiaris rerum habebitur recentissimarum. Typographi exemplaria typis experimentes consilii medicorum oculariorum parebunt. Dictionario singulare pretium paedagogicum addetur eo, quod concinnatores pro exemplis usum vocabulorum illustrantibus, quatenus fieri poterit, citationes vim educandi exercentes adhibebunt. Sperant fore, ut opus quinquennio absolvatur. Sumptibus eius ipsa Banca Italiae providebit.

Id quoque propositum est Instituto, ut *Dictionarium Speciale* rerum recentissimarum seu modernarum conficiat partim colligendo, partim fingendo vocabula. Ut fontibus huiusce modi thesauri verborum ephemeridibus hucusque publicatis (*Iuventute* quoque) magnopere utetur. Iam copia fere viginti milium huiusce generis vocabulorum in variis Instituti fontibus reperiri potest.


Institutum, cum linguam Latinam in commercio internationali praesertim ad notiones scientiarum exprimendas adhiberi velit, Societates Eruditas Institutaque varia ad *Summaria* Latino sermone conficienda hortatur. Iamque, ut iisdem in hac opera succurrat, *Officium Textibus Latine Vertendis* Romae creavit. *Ephemeridem* quoque edere decrevit, qua studium linguae Latinae excitetur problemataque eiusdem didactica tractentur. — Ceterum membra Instituti eos, qui operam navant linguae Latinae renascenti, ad *Congressum Internationalem* Romam convocandi consilium ceperunt. *Julius Kováts dr. Bp.*

De re aenigmatica.

Otto Schmied Vindobonensis.

Solutionis aenigmatum decim partis.

55. salsus, mutuus, valles, carpta, genius, parcus, varius, celata: Sulpicia. 56. Tacitus, onustus, initium, canorus, plurimi, veritas, Aspasia, ah! venis: annales, historia. 57. Aurora musis amica (casu, mori). 58. O fortunate adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris. 59. 60, 70, 80, 90 nuces. 60. inopia, sus, interimus, puerilis, indoles, mirabilis, periturus, interitus, consido, anus, lis, olens.



Censor aenigmatum: Otto Schmied Vindobonensis.

Solutio aenigmatum numeri X.

ad Calendas Octobres prolongatur.

Nova aenigmata.

1. Q. B. F. F. F. Q. S.¹

(ex syllabis)

ae, bel, fe, fer, for, la, lum, quae, que, ri, ror, rum, scho, so, tis

His syllabis

Compositis

Conforma nomina

Ex hac sententia:

1. Quod «tessék» est Hungarice.
2. Est paci hoc contrarium.
3. Est tempus iam praeteritum.
4. Qui praestat fortitudine.
5. Metallum necessarium.
6. Cui est «accuso» simile.
7. Est institutum utile.

¹ = Quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit!

Ex primis litteris
Exsistit titulus,
Quem saepe invenis
In optionibus.

O. S.

2. In memoriam summi Hungari.
(adamas)

			A						
		A	A		A				
		C	E	E		E	E		
	E	G	H	I		I	I	L	
L	M	N	N	P	P	P	R	R	
	S	S	S	S		S	S	T	
		T	T	T		U	U		
			U	U		V			
				X					

Hae litterae,
Quas vides hic,
Sunt inter se
Mutandae sic,

Ut voces tum appareant
(Ut infra notae nuntiant),
A summo post ad infimum
Vox quinta fiat iterum.

1. Praenomina abbreviatio.
2. Eundi vobis adhortatio.
3. A quo Hungaria,
Dic, regebatur antea?
4. Sunt baculi,
Sed, hercle, regii.
5. Qui erat rex Hungaricus
Et una vir sanctissimus.
6. Quo procurante in Judaeis
Salvator cruci fixus est cum reis.
7. «Lac senum» nominatur.
8. Quid sole nobis datur?
9. Quod legi in principio,
In fine item video.

O. S.

3. Quadratum magicum.

1. 2. 3. 4.

1.	P	L	A	M	A	A	A	A
2.	C	E	E	L	P	R	R	U
3.	L	M	M	P	P	R	R	U
4.	P	R	R	U	A	A	A	A

1. Est «palam» vox contraria.
2. Et haec est lupi femina.
3. Est bestia, quam metuis.
4. Circumdatum est insulis.

O. S.

4.

Humanum me corpus habet pelagusque profundum
Bestia sum stolidus, si caput addideris.

Lad. Balázszy Cassoviensis.

Nota: Lectoribus minimis 3, mediis: 1, 4, maioribus: 2.

**Terminus solutionum ad moderatorem mittendarum :
Calendae Novembres.**

Solutiones aenigmatum singulis in scholis a magistro collectae in eodem involucro epistolae ad moderatorem mitti possunt.

Quem sibi quisque ex his libris praemio solutionum dandis elegit, scribat ad moderatorem :

J. Wagner: 1. Carmina Horatii selecta ad modos aptata (34 melodiae). — 2. Dictionarium rerum moderarum Hungarico-Latinum.

O. Schmied: 1. Fröhliches Latein (aenigmata). — 2. In veste Latina (carmina Germanorum). — 3. Cantemus Latine (carmina Germanorum).

Gallus ad fabulam *W. A. Beckerii* ad privatam Romanorum vitam cognoscendam concinnavit *Aem. Láng.*

Foederatio Stephanea: Eucharistia et Sancti Hungarorum (editio illustrata).

Florilegium Patristicum. I. Fray, C. Ács: S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Hieronymus.

A 10 éves magyar rádió (1925—1935).



Corrigenda numeri 10 (Jun.): pag. 147: pro «ira-scebantur» lege: irascerentur. — pag. 150: pro «Candissimi» lege: Candidissimi.

G. Fieber. Solutiones numeri 9 sero accepi. — *Ios. Cserépy.* «Carmen nebulonum in gloriam regis Matthiae :

Matthias nunc rex creatus
Omni regno triumphalis,
Nam hunc dedit nobis Deus
Defensurum nos a malis.»

Alias orationem solutam cole. — *Em. Haas.* Bizonyítvány: 1. illetőségi, 2. helyhatósági, 3. állampolgársági: testimonium 1. competentiae, 2. magistratus localis, 3. iuris civilis; cipőzsinór = funiculus calceamentorum. — Opuscula, quae *Hel. Mikóvna, M. Król, V. Bors, Lad. Balázszy, C. Flesch, O. Suszter* ad moderatorem miserunt, tempore prodebunt. — *I. Ehrenfeld:* Quamquam auctores scholasticos non libenter edimus, tamen epistolas Ciceronianas forsitan publici iuris faciam. — Libri dono accepti (1. *Potucek* Plautus-Terentius, 2. *Gaar-Schuster* Liber Latinus III., 3. *H. Weis* Jocosus) ordine recensebuntur. — *Pittacia* Eucharistica et *Stephanea* iam non venduntur. — *St. Kropek* Si Palaestra Latina prodierit, nuntiabimus. — Ceteris praxime respondebimus.

Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum. — A Katolikus Középkolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)